



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris  
Theologi Architectura Christiana**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1653**

3. Velum Parietis-Spei Humilitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

omninò deiiciat, Longanimitate perficitur. Hanc Cru-  
 scam Spei appingit S. Cyprianus de bono Patientiæ  
 hunc in modum differens: *Tolerandum & perseverandum*  
*est, fratres dilectissimi, ut ad Spem veritatis, & libertatis admissi,*  
*ad veritatem & liberalitatem ipsam perveniamus. Quia hoc*  
*ipsum, quod Christiani sumus, fidei & Spei res est. Ut autem fides*  
*& Spes ad fructum suum possint pervenire Patientia opus est.*  
*Cum enim quod non videmus, speremus, per Patientiam illud*  
*ipsum expectamus: propterea, expectatio, quæ Longanimitatis est,*  
*& Patientia necessaria est, ut id quod esse cœpimus, impleamus;*  
*& quod credimus ac speramus, DEO præstante, capiamus.*

ARTICULUS III.

VELVM

*Parietis Spei.*

HUMILITAS.

PRÆTER Incrustationem duplicem, in Principum au-  
 lis, templisque vestiuntur parietes, vel picturâ  
 penicillo obducta, vel precioso & exotico ligno,  
 vel peristromatis & aulæis: hæ sunt parietum vela-  
 mina: quorum loco in Domo Sapientiæ quadrupli-  
 cem Spei parietem vestit HUMILITAS: quâ nisi is  
 obducatur, & quod in eo adhuc inane, impleatur, vel  
 obveletur, facillimè ventis superbiæ australibus, borea-  
 libusque corrumpitur. Notavit id D. Chrysostronus, quî  
 homilia XXI. in Genes. *Oportet quidem, inquit, in virtute, &*  
*rectè factis Spem salutis habere. non tamen idcirco magnificè te*  
*circumspicere, & multum de te sentire; sed tunc magis humilem*  
*& modestum esse, cum magnas virtutum diuitias congesserimus.*  
*Sic enim & ipsi collectas divitias custodiamus, & gratiam DEI*

Ll 2

nobis

nobis conciliabimus. Enimverò & propter hoc Christus discipula dicebat: Cùm feceritis omnia, dicite, Servi inutiles sumus. Idem S. Pater homilia tertia in illud, *Elatum est Cor Oſia*: Nihil, ut perinde gignit superbiam, quam Bona Conſcientia, niſi advigilemus. Vnde & Chriſtus, ſciens, quod poſt benefacta hic morbus adoriatur, dicebat diſcipulis: Cùm omnia feceritis, dicite, *Servi inutiles ſumus*. Quasi diceret, poſtquam Spei-Parietes bonorum operum lapidibus extruxeritis, & longanimitate ac Patientia incruſtaveritis, Aulæum Humilitatis appendite. Aliud quid ſuggerit benè obſervandum homilia tertia in Matthæum ſic ſcribens. *Quando aliqua præclare fecerimus, habemus eum debitorem ob res benè geſtas*. Quando verò nihil arbitramur nos operatos egregium, amplius etiam ob talem meremur affectum, quàm propter opera ipſa, qua fecimus. Exiſtimat igitur Chryſoſtomus: Minimum deſenſiſſe, tam eſſe magnum, quàm maximas res feciſſe. Hoc eſt Humilitatis meritum.

QVO CIRCA monent ſeriò ſanctiſſimi Viri, & per ſtomate oblivoniſ bene facta noſtra velemus, ne illorum aſpectu ſuperbiæ affectus inſurgat. Præclare S. Gregorius Papa lib. ix. Moralium cap. 17. *Si ſciſimus bona, quæ agimus, ad elationem diſcimus: ſi neſciſimus, minimè ſervamus*. Quis enim de virtutiſ ſuæ conſcientia non quantulumcumque ſuperbiat? aut quis ruſſum bonum in ſe cuſtodiat, quod ignorat? Sed contra utraque quid ſupereſt? niſi ut recta quæ agimur, ſciant, quando neſciamus: ut hæc & recta eſtimemus, & minima; quatenus ad cuſtodiam ſanctificet animam ſcientia rectitudiniſ, & in morem non elevel eſtimatio minorationiſ. Hic ſenſus tuitur religioſiſſimi Abbatiſ Bernardi, qui licet multis anniſ ſuè nuè laboraſſet in erigendo Spei-Pariete, cùm latis, cùm ligatiſque gratiæ vinculo bonorum operum meritiſ, per men epistoſta cccx. quam, cùm penè animam ageret, deſtavit, ita loquitur: *Orate Salvatorem, ut tempeſtuum exitum*

exitum non differat: curate munire votis calcaneum nudum  
 meritis. Idem docet nos in precibus suis Ecclesia, quæ sic  
 orat (a) DEUS, qui conspicias, quia ex nulla nostra actione confi-  
 dimus: Et, (b) Vbi nulla suppetunt suffragia meritorum, tuis nobis  
 succurre presidis. Denique in Canone Missæ: Intra quorum  
 nos consortium non estimator meriti, sed veniæ quasumus largitor  
 admitte.

(a) Dom. Sexag. (b) Dom. Advent. secreta.

## ARTICULUS IV.

## SECURITAS

*A Muro Spei.*

SPei Parietem, qui & Murus est, si in anima nostra  
 extruamus, securi ab omni adversariorum incurſu  
 prævalente erimus. Quis enim non sit securus, quem  
 cingit vndequaque Murus, ex ære, lapide, latere ita  
 compactus, ut nullius extranea vi, modò illum iniqui-  
 nus conservare velit perrumpi possit? Ita meritò excla-  
 mavit cantando Psaltes Regius: (a) In Domino sperans non  
 informabor. Et, (b) Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion,  
 non commovebitur in æternum, qui habitat in Ierusalem. Montes  
 in circuitu ejus, & Dominus in circuitu populi sui. Hoc est mu-  
 nimentum fidelium. In silentio & Spe fortitudo vestra, inquit  
 Propheta. (c) Beati omnes qui expectant Dominum:  
 nimirum, inclusi sunt in loco tutissimo, in quem nulla  
 potest irrumperere adversitas, nulla prædominari hosti-  
 litas. Egregiè S. Hieronymus, idcirco quos fidei suæ  
 commissos erudiebat, intra Spei munimentum, ut se

Ll 3

inclu-

(a) Psal. xxv. (b) Plcxix. 1. (c) Isaiæ xxx. 15.